

filium, non à bile concitatorū atque furentium. Et sæpe leuissimæ suspiciones ad arma impellunt. Facilitas autem suspicandi est à pauore, Pauor autem à frigore, cum aquæ, tum terræ, inanimantibus.

Præterea duo sunt, præter Deum, vnde istæ turbæ ac dissidia fieri possint, si tamē fiant, Cometa & stellæ. Quæro ex ijs duobus, quæ potior et valentior est ruine causa? Non præferent, puto, Cometam fluxum effectum. stellæ quæ causa? cœlestis & æterna. Cur ergo, si stella tãti sit, & animus humanus, uel vna cogitatione impellatur, cur inquam, noster animus non afficit, nō cōmouetur à stellis præsentibus, & earum dispositione atq; habitu, hac ipsa hora, ut putant infœlici? Quorsum expectât bilis feruores? cur uentorū feras tempestates? vt à vëto siccitas, à siccitate acbile sit ira & libido: ut ab his animi motibus uita hominū turbetur ac uioletur, omniaq; bellis & cladibus funestentur?

Est item ea ratio nō contemnenda. Deum si minetur, non agris, montibus, aut siluis minari, sed hominibus certis ac gentibus. Optima enim & sapientissima mens, nihil temerè agit: sed certa ratione summoq; consilio instituit & perficit quæcunq; uult. Consideremus nauale prælium ad Echinadas insulas cōmissum. Nobilissimus fuit conflictus. Inter præcipuos huius orbis Monarchas decertatum est. Nullus tamen Cometa cladem tantam hominibus indixit. Et si quis eo tempore uisus fuisset, non tamē irati Dei signū extitisset. Etenim cum non locis, vt dixi, sed gentibus minetur Deus, quâ sit, vt vna eademq; hora, ex omnibus ferè nationibus Europæ, Asiæ, Africæ mortales trucidētur? Erāt ibi Scythæ, Mauri, Aethiopes, Aegyptij, Asiani. Quid referã Christianos generatim, populos Hispanos, Germanos. Hungaros, Italos, Marcomannos & Sarmatas? Ex omnib. hisce gentibus demersi multi, cæsus numerus ingens. Quis unquam Cometa potuisset, quamuis immanissimus, & non à Deo, sed à furijs orci accensus, tot populis, tamque diuersis

Exemplū  
illustre